

VIA LATINA

DE LINGVA ET VITA ROMANORVM

M^a Luisa Aguilar & Jorge Tarrega mē fēcērunt



CULTURA CLÁSICA
ANNO MMXXII

Praefatiō

Aloisia et Geōrgius, Collēgiī Latīnitātis sodālēs, Antōniō suō optimō ēditōrī, patrōnō, amīcō spd

SEPTEM abhinc iam annōs cum Saguntum convenīrēmus, Antōnī, atque in multa eaque dīversa, ut nostrī est moris, inciderēmus argūmenta dē cōnsiliis nōn sōlum didascalicīs, sed etiam dē rēbus quae ad hūmānitātem colendam spectant, placuit nobis colloquentibus iter suscipere longum haudque facile, quod est enhīridion cōnscribere tīrōnibus p̄imōs gradūs in lingua Latīna descendā facientibus atque templum iam adeuntibus ingentī dulcēdine ac summā suāvitāte plēnum. Fuit nobis imprīmīs, probē scīs, exemplum et tamquam aedificātiōnis fundāmentum sententia magistrī illīus quem vehementer laudāmus cuiusque praecepta imitāri cōnāmur: *plūrimum in praeciendō*, monuit Quīntiliānus, *valet ratiō*. Quod igitur cōnsilium secūtī multaque alia quae hīc, tempore et spatiō cōnstrictī, potius praetermittenda cēnsēmus, trēs cōstituimus cardinēs, in quibus rēs tōta, agendī modus et iūdicia verterentur:

I. Methodus et via, quibus ūtimur, **linguae ūsū** nītuntur: lingua enim Latīna Latīnē ex-plānātur et est īstrūmentum quō ā facillimīs orsī pedetemptim ad diffīciliōra trānseāmus. Sīc turris alta, dum alia vocābula et structūrae in aliīs iam memoriae mandātīs dictiōnibus apponuntur, in caelum prōtenditur. Rērum et vōcum nōtitia singulīs capitulīs cumulātūr. Neque tamen omnia vocābula vidēbis in margine dēscripta et dēlineāta: quippe liber est sīc concinnātus, ut praeceptor, quī vel in harēnā docēbit, p̄imās partēs in hāc rērum compāgē agat eaque ardua eaque minus perspicua cōram discipulīs suō quisque Mārte illūstret. Opus prōrsus erit praeceptōris manū ut, Quīntiliānō dēnuō auctōre, *remedia, quae aliōquī natūrā sunt aspera, mollī manū lēniantur: laudāre aliqua, ferre quaedam, mūtāre etiam redditā cūr id fiat ratiōne, inlūmināre interpōnendō aliquid suī*.

II. Rēbus gestīs Rōmānōrum est tōtus liber contextus: incipit enim ā Lārentiā, quae Rōmulum nūtrīvit atque ēducāvit, fīnītūr ad Gracchōs frātrēs, ā quibus Rōma in discrīmen adducta, iam iamque ad saeculum aureum litterārum et artium vergit. Discipulī quidem, dum linguam discunt, rēbus gestīs imbuuntur atque intrīcantur. Hūc adde nōn singula, sed secundūm quodque capitulum locuplētātum esse cultūs cīvīlis et hūmānī additāmentō, quō perlēctō et, sī placuerit, ā magistrīs auctō, discipulī dē antiquīs cōsuētūdinibus veteribusque morib⁹ informentur eaque omnia cum hominib⁹, quī hodiē sunt, cōferant et perpendant. Neque prōvinciam illam omīsimus, in quā aurea per saecula dicta excellant necnōn sint discipulīs documentō.

III. Exercitiōrum genera dēcrēvimus **varietāte** spargere haud parvā, in quibus discipulī sī industriē ac diligenter sē praeparāverint, velut in palaestrā expeditiōrēs et promptiōrēs red-dentur. Varietās in eō est, ut alia ad capitulī rēs percipiendās spectent, alia ad vocābula ipsa memoriae mandanda, alia ad artem grammaticam exercendām. Neque tantum illa ab Erasmō vel Comeniō ērudītē cōsignāta nobisque fēliciter allāta exempla sequī voluimus, sed etiam novissimae scientiae pervestīgatiōnēs hominum doctōrum quī in linguārum comparatiōnēm hīsc temporib⁹ inquīrunt.

Sed huius nostrī inceptī, quod brevissimē adumbrāvimus, tibi, Antōnī, onus iam inde ab incūnābulīs ipse imposuistī, patientiā ēmendāvistī sapienterque auxistī. Trādāmus nunc lampada magistrīs, quī alacrēs arcām aperiant, trādāmus discipulīs, quī cognōscendī avidī linguam penetrent eamque tōtō animō complectantur. Vtinam effluat in iīs, mēnsibus lābentibus, amor ergā thēsaurum illum, quō post hominum memoriam dōnātī sumus, linguam scilicet Latīnam.

Dabāmus Valentiae et Bostōniae, Kalendīs Iānuāriīs ann. MMXXII